Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26937
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suisque donationibus augmentatas privilegii sui auctoritate confirmavit.
Cuius ergo auxilio et omnia predictus pater Wolvoldus in omnibus suffultus copiosam messem
fidelium tam virorum quam mulierum adunavit. Sanctimoniales primus apud nos instituit
quarum in brevi tantus favor honestatis atque religionis percrebruit, ut non nul-
li etiam principum seu comitum, sed et plures nobilium filias suas deo ibidem sub
regulari servitutis institutione offerentes, cenobium ipsum cunctis pene in
Germania sanctimonialium monasteriis celebrius reddiderunt.

M. c. xvi. Stanstetensis ecclesia sancte Marie dedicatur ab Odalrico episcopo. Terremotus factus
est magnus per universam Teutonicam et Italicam terram. iiii. Non. Ian.

M c. xvii. Heinricus imperator V. episcopos in scismate a propriis sedibus pulsos restituit.

M c. xviii. Ungari iuxta fluvium Litah nos vastaverunt. Paschalis papa obiit.

M c. xviiii. Paschali papae Gelasius | Magna inundatio aquarum facta est.
successit. Welfo dux Bawariae obiit. Cui Heinricus frater suus successit.

M c. xx. Gelasius papa obiit. Cui Calixtus II. huius nominis ordinatur. Odalricus Patav. episcopus obiit.

M c. xxi. Cui Reinmarus. Ipso anno monasterium Admuntense a domno Chu-
rado Iuvavensi archiepiscopo exquisito marmore nobiliter exstructum, secundo dedi-
catum est. Opus illud satis preciosum temporibus Gotfridi abbatis postmodum ignis absumpsit.

M c. xxii. Monasterium monialium s. Georgii in Carinthia Chunradus archiepiscopus
auctoritate sua clausit, et domni Wolvoldi abbatis cure ac regimi-
ni traditum commendavit. Otakarus marchio Styrensis obiit. Cui Liupoldus filius successit.
Liupoldus iste fortis marchio dictus est.

M c. xxiii. Heinricus V. imperator dum in Goslarensi oppido conventum principum
haberet, nimia tempestas et horribilis fulgurum et tonitruorum re-
gem et eius palatium percussit. Moxque capulus mucronis regis tactus ut cera liquescens eva-
nuit. pictura quoque clippei eius deleta est.

M c. xxiiii. Kalixtus papa sententiam anathematis in imperatorem dedit. Imperator vero urbe